

adniti voluisset, muros transcendendum, oppugnatione decreta, magistratus urbis præmia militibus proposuere: ut qui primus muros incendisset, quadringentis aureis nummis donarentur: trecentis secundus: tertius ducentis: decem sequentes centenis: alii numero viginti denis. Pugnatum itaque est per horam tanto utrinque ardore, ut qui id certamen spectavere, haud facile dijudicarint, scandentium ne, ac sese mortis periculo objicientium, an paucorum defendentium major fuisset virtus. Demum pluribus amissis, hostes mœnia retinere; quantumvis longam obsidionem perlaturi, nisi fames, humanarum virium domitrix, eos tandem invalisset: qua adacti in decem dies inducias pepigere, quibus si a Philippo auxilium accepissent, ne fraudi daretur, si in munitionum defensione perstarent; si minus, illis Veneto relictis, cum armis incolumes abire liceret. Secundum hæc quæ pacta erant, iussi sunt stationarii milites intentius solito omnia circa arcem asservare, ne qua præsidia aut commeatus obsessis alicunde mitterentur. Fremebant interim, qui in Philippi castris erant, aperteque ductorum ignaviam accusare, vociferarique, eorum sive fraude sive metu, non minus quam a civibus Brixiam Veneto proditum iri. Haud dubium esse, si in hostium munitiones a tanto exercitu factus esset quandoque impetus, facile evenire potuisse, ut vallo & aggere disiectis, suos obsidione levassent. Ad ea Pergulanus negare, militem armato hosti, seque munitiore loco tenenti conficiendum objici oportere: satius videri, incolumi præsidio ex arce & munitionibus educto, cætera hosti in præsentia relinquere: fore, ut tam valida manu postea recepta, eum abeuntem persecuti, ad pugnam vel invitum traherent, tractumque majore aliqua clade afficerent. Tum Picininus, ut natura acer & ferox, pessimo exemplo fieri vociferans, tutiora cuiquam loca relinquere, ut cum eo æquo campo postea congregiare: quin si quis Philippi res salvas esse vellet, si quis præsentī militia dignus videri, se in hostem euntem sequeretur, dixit: atque ita locutus, e media concione subito se proripuit. Eum abeun-